In Graecis libris titulisque praecipue antiquioribus, quae nomina prima et altera declinatione flectuntur, i. e. quorum stirpes litteris η (α) et ο terminantur, eis duo genera dativorum numeri pluralis propria esse constat; qui dativi aut in οισι et ησι (αισι) cadunt aut in οις et ης (αις). Cuius rei duae esse possunt causae: aut genera illa bina dativorum ab initio inter se differunt cum forma tum vi propria et quasi innata, aut temporum decursu, cum linguae species mutaretur, alterum ex altero ortum est. Quarum explicandi rationum utramque viri doctissimi secuti sunt, velut Thierschius (Griech. Gramm. 3. Aufl. 1826) dativos in οις et ης exeuntes formis οισ', ησ' intercedentibus a dativis longioribus esse profectos putat; idem fere Boppius in grammatica comparativa (3. ed. 1868), cum dicat omnes dativos Graecos ad locativum in — su sanscriticum referendos esse. Quem secutus Gerlandius primus (Über den Dativ Pluralis des Griechischen; Zeitschr. für vergl. Sprachforschung IX, p. 36 [1860]), cum usum Homericum accuratissime examinaverit, quae de illa re sentiat, gravissimis argumentis probare studet. Qui cum apud Homerum formas breves, quae multo rariores sint quam longae, omnes fere aut ante vocales aut in finibus versuum inveniri videat, vel inde cognosci arbitratur breves ex longis decurtatas esse. Accedere, quod formae breves saepissime aut in locutionibus quibusdam epicis in usu sint aut in verbis brevibus atque usitatissimis, velut τοῖς, σοῖς, οἷς, ἐμῆς cett. Inde usum decurtandi, cum apud Homerum utraeque formae exstarent, paullatim propagatum esse.

Longius Nauckius progreditur (Mélanges Gréco-Romains IV inde a p. 407), qui Gerlandii argumentatione ad rem adductus dativos breviores a poeta ipso usurpatos esse plane negat, sed, cum dativi illi ante vocales collocati elisione adhibita οισ' et ησ' scribendi sint, ceteros dativos interpolatorum et criticorum, praecipue Aristarchi vitio contextui insertos esse putat. Quod vitium emendationibus et coniecturis ipse varium in modum corrigere studet.

At formis brevioribus vim innatam inesse primus Pottius censuit (Etym. Forschungen I², 573), deinde Osthoffius, quem Gustavus Meyer in grammatica Graeca (p. 309) secutus est. Qui viri docti dativum in οις exeuntem esse eundem censent atque instrumentalem antiquum linguis praecipue sanscritica, lettica, slavica ad

hoc tempus servatum; ad eam formam ceteros dativos breves analogia conformatos esse. Conferenda praecipue sunt, quae Osthoffius in quaestionibus morphologicis inde a p. 74 de hac re dicit.

Recte Gerlandius, quo melius rem perspiciat, a carminibus Homericis, Iliade et Odyssea, ut antiquissimis linguae Graecae exemplis, proficiscitur, quoniam, qui de formatione mutationeque linguae quaerit, ei ad antiquissimum formarum statum redeundum esse apparet. Nam cum carmina Homerica exeunte fere saeculo octavo ad finem producta sint, tituli Graeci antiquissimi, ex quibus ad hanc causam aliquid redundet, omnes aetatibus inferioribus tribuendi videntur. Quorum pauci saeculo sexto addici possunt, plures quinto et quarto.

Atque dativos illos Homericos colligentibus nobis hi numeri effecti sunt.

	In Iliade				In Odyssea			
	οισι	ησι	οις	ης	οισι	ησι	οις	ης
1.	50	7	15	5	53	11	5	3
2.	46	19	21	7	29	4	3	3
3.	43	12	6	5	52	6	15	1
4.	32	15	8	1	72	22	12	8
5.	56	25	15	7	27	19	3	2
6.	48	14	8	5	28	12	3	1
7.	50	8	4	4	27	9	4	1
8.	34	20	5	2	61	8	9	—
9.	50	19	10	2	37	14	18	3
10.	45	14	10	2	49	14	15	3
11.	71	18	10	—	48	11	5	1
12.	33	16	5	5	40	10	10	1
13.	56	26	10	4	33	7	6	2
14.	38	16	1	2	37	9	15	1
15.	69	32	9	1	39	12	14	—
16.	46	34	6	5	59	7	9	—
17.	49	18	11	1	50	13	6	2
18.	39	23	12	4	41	9	10	1
19.	31	12	2	4	59	8	12	—
20.	28	11	7	2	35	10	10	2
21.	35	9	2	3	37	6	7	2
22.	32	19	4	3	38	9	7	2
23.	81	8	15	3	32	5	2	—
24.	59	18	15	5	40	12	12	3
	1121	413	211	82	1023	247	212	42
	1534		293		1270		254	

Quos numeros cum eis, quos Gerlandius et Nauckius reppererunt, non plane congruere rem obiter spectanti mirum videatur, praesertim cum cognoscat etiam quos illi afferant numeros maxime inter se differre. Gerlandius enim affert

in Iliade formas longas 1312, breves 267,
in Odyssea = = 1064, = 233

Nauckius

in Iliade formas longas 1564, breves 251
in Odyssea = = 1297, = 225.

Sed ut diversa in quaerendo reperirentur, eo factum est, quod Gerlandius binas formas inter se coniunctas ut singulas collegit et numeravit, velut ἀθανάτοισι θεοῖσι, ἄλλοις ἑτάροις, id quod cum Nauckius reprehendit, tum nos in re persequenda evitavimus. Deinde ille formas τοῖςδε et τοῖςδεσι plane neglexit, nescio qua causa adductus. Plurimum vero valet, quod editione carminum alia ac nos in quaerendo usus est eaque, ut opinatur Nauckius, J. Bekkeri anno 1843 Berolini foras data. Nauckius autem ad rem iam non integram aggressus esse nobis videtur. Qui suam ipsius editionem compluribus coniecturis mutatam ad tractandam quaestionem adhibuit; in qua editione, quam habuit de dativis illis iam antea opinionem secutus, complures dativorum in οις et ῃς formas ante consonantes positas plane eiecit alterasque in eorum loco reposuit, in quo genere praecipue versantur formae — οις (ϝ) ἐπέεσσι, — οις δεπάεσσι. Hoc modo ille, quod argumentatione ostendendum proposuerat, cum in dativis quibusdam praecepisset, et rationes numerorum et totam causam paullum turbavit. Nos quidem La Rochii editionem secuti sumus, qui librorum optimorum auctoritate ductus carminum Homericorum contextum nec temere nec timide, quantum nunc fieri posset, purum restituisse videretur.

Numeros, quos repperimus, si inter se comparamus, formas breves multo rarius usurpari quam longas et in Iliade et in Odyssea primo adspectu apparet; centenis enim dativis longioribus respondere in Iliade 19,10, in Odyssea 20,00 breviores.

Dativi autem in ῃς cur tam raro inveniantur prae formis in οις cadentibus — (in Il. 82 : 211, in Od. 42 : 212) — certissima causa afferri potest. Cum enim in carminibus formae longiores in οισι $1121 + 1023 = 2144$, in ῃσι $413 + 247 = 660$ sint eamque ob rem centenis in οισι 30,78 in ῃσι respondeant, inter formas autem breves eadem fere ratio intercedat eaque 29,33 ῃς ad centenas οις: manifestum est, ut formae in ῃς rarius usurparentur quam in οις, eo factum esse, quod dativi primae quae appellatur declinationis in lingua Homerica rariores essent quam alterius. Thierschius autem quod dativos in ῃς paene omnes ante vocales positos esse dicit, non

recte vidit; etenim in Il. collegimus 68 ante vocales, 14 ante consonantes positos, in Odyssea 28 prioris, 14 posterioris generis, atque 14 formas ad 68 aut 28 „paene nullas“ haberi non licet.

Dativi vero in αις exeuntes tres omnino in carminibus Homericis inveniuntur, unus in Iliade, duo in Odyssea: Il. 12,284; Od. 5,119; 22,471. Ouae formae ob id ipsum, quod prae ceteris tam raro inveniuntur, suspicionem movent. Accedit, quod, cum formae illae postea persaepe in usu sint, librariorum errore facile fieri poterat, ut quamvis pauca eiusmodi aut mutatione aut interpolatione etiam in Iliadem et Odysseam irreperent.

Et Nauckius ille quidem versus Il. 12,284—286 interpolatos esse in editione sua conicit. Quod causis a re ipsa petitis probari potest. Nam cum versibus praecedentibus (1278—1283) pulcherrime et ut ita dicam Homerice nix describatur hieme de caelo cadens omnesque agros candore suo tegens ac velans, versibus illis siccissime et obscurissime litus affertur ipsum quoque nivibus tectum et mare alluens, prohibitum cur? quibus rebus? an copia nivis in ora coacervata? an quia ipsum ἁλμυρὸν ὕδωρ concrescit in glaciemque mutatur? Itaque mare litusque illud, si Germanica locutione uti licet, tamquam nix ipsa in hunc locum pulcherrimum incidisse videtur. Quod mare litusque ut interpolator insereret, eo adductus est, quod meminerat Danaos prope mare cum Troianis pugnare. Offendimus autem etiam in vocabulo ὄμβρος (in versu 286), quo hoc loco nivem significari oportet, cum idem quattuor apud Homerum locis pluvii vim habeat, (Il. 10,6; Od. 6,43; 9,111; 13,245), ceteris locis incertum sit; in Iliadis enim 3,4 quamquam ad χειμῶνα spectat, tamen non est, quin imbres hibernos significet. Postea semper pluvii vim exhibet.

Nauckius idem in versu Od. 22,471 pro πάσαις recepit πασέων, auctoritate adductus codicum et Augustani, qui ex correctione πασῶν praeberet, et Vindobonensis πασάων exhibentis. Et certe primum ἀμφὶ δὲ πασέων δειρῇσιν multo aptiorem sensum praebet, deinde πάσαις facile pro πασέων scribi potuit ab eo, qui iam δειρῇσιν statim insequens spectaret.

At in versu Od. 5,119 θεαῖς neque eici ut interpolatum neque mutari nisi in θεῇς licet; ἄγαμαι enim, cum significat „invidere“, apud Homerum semper cum dativo personae coniungitur: Il. 17,71; Od. 8,565; 13,173; 23,211. Atque quamquam dativus θεῇς semel a poeta usurpatur ut non in Odyssea ita in Iliade (3,158), tamen, ne temere θεαῖς eiciamus, monemur hymni Homerici IV. (in Venerem conscripti) v. 190:

γίγνεται, ὅστε θεαῖς εὐνάζεται ἀθανάτῃσι,

quo in versu eadem locutio cum θεαῖς coniuncta invenitur. Hymnos

autem Homericos si perlegimus, in hymnis quinque maioribus, qui, cum antiquissimi sint, septimo saeculo tribuuntur, nonnullae formae in αις reperiuntur. Cum enim in tribus primis 6 ης, nullae αις exstent: in quarto duabus ης duae αις, in quinto 8 formis ης etiam 5 αις respondent. Ceteri hymni praetermittendi sunt, quos multo post illos natos esse constet. In Hesiodi vero carminibus hi numeri effecti sunt: In theogonia 11 ης, 2 αις; in operibus et diebus 7 ης, 2 αις; in scuto, (quod, quamquam ab Hesiodo non confectum est, tamen saeculo septimo tribuitur) 25 ης, 8 αις. Itaque, praesertim cum hymni Homerici antiquiores formas illas exhibeant, qui Homeri carmina et locutionibus et vocabulis formisque imitentur artissimeque sequantur, (cf. Eberhard, Sprache der ersten homerischen Hymnen, Programm Husum 1873), facere non possumus, quin ipsi aetati Homericae formarum in αις usum quamvis rarum concedamus.

Jam vero, si quis postulat, ut de formis οις et ης separatim quaeratur, hoc non opus esse inde cognoscitur, quod, cum rationes formarum ης : ησι et οις : οισι inter se pares fere sint eaeque ης : ησι 18,63 et οις : οισι 19,58 ad centenas, usum formarum brevium, si ad alteras formas referuntur, inter se non differre apparet.

Si formae breves a principio in lingua Graeca vi instrumentalis praeditae in usu fuerunt, suspicari licet vim illam innatam aliquo vel minimo vestigio in antiquissimis Graecae linguae monumentis servatam esse. At formas et longas et breves si in universum numeramus ratione habita casuum antiquorum, hos numeros utriusque generis reperimus:*) formarum longiorum locales 1387, instrumentales 741, dativos 676; breviorum loc. 247, instr. 177, dat. 123.

Itaque locali ut casui in carminibus illis usitatissimo utriusque generis plurimae formae tribuendae sunt, sed neque instrumentali nec dativo longiorum formarum magnus numerus deest. Numeris igitur in universum numeratis efficitur Homeri aetate vim illam innatam iam non memoria servatam esse.

Ac ne singula quidem si consideramus vocabulorum genera, ullum eiusmodi indicium exstat. Quae genera ita distribuemus, ut primum pronomina complectamur, deinde cetera genera, quae pluribus locis inveniantur, eaque et substantiva et adiectiva cum diversis coniuncta substantivis et adiectiva diversa eisdem substantivis adiuncta. Quae vocabulorum genera cum praecipue in formulis epicis in usu sint, quas formulas ex antiquiore linguae aetate traditas esse

---

*) De vi antiqua dativorum illorum cf. Monroe, grammar of the Homeric dialect; Brugmann, Griechische Grammatik, in encyclopaedia Ivani Mülleri.

veri simile est, ex usu syntactico eorum cognosci posse arbitramur, fuerintne illi dativi antiquissimis linguae temporibus vi instrumentalis instructi necne. Dativorum autem illorum loci pro generibus ita discripti sunt, ut in singulis generibus quae saepius invenirentur formae, priorem locum tenerent.

A. Pronomina.

τοῖς Istr. Il. 2,524. 747. 10,196. 12,372. 18,413. 20,405. Od. 16,13. 20,367. = 7.
Dat. Il. 1,342. 597. 2,516. 680. 5,131. 150. 9,417. 684. 10,63. 11,120. 12,369. 13,753. 16,171. 17,384. 24,252. Od. 3,390. 14,88. 19,196. 24,84. = 19.
Loc. Il. 2,433. 4,153. 7,170. 324. 9,93. 10,241. 330. 17,740. Od. 3,68. 113. 490. 4,630. 5,202. 8,132. 9,223. 12,425. 14,459. 15,188. 304. 324. 439. 18,51. 60. 21,130. 274. 22,247. 261. 24,490. = 28.
τοῖςδεσσι, τοῖςδεσι. Istr. Il. 10,462. Od. 10,268. 13,258. = 3.
Dat. Od. 2,165. = 1.
Loc. Od. 2,47. 21,93. = 2.
τοῖςδε I. Od. 4,93. 9,286. 14,443. = 3.
L. Od. 7,23. = 1.
τῇς D. Il. 5,750. 8,394. = 2.
L. Il. 18,275. 419. Od. 4,721. 9,428. = 4.
οἷς poss. I. Il. 1,307. 24,759. Od. 5,124. 11,173. 199. 15,411. = 6.
D. Il. 5,165. 13,489. 15,501. Od. 14,413. = 4.
L. Il. 13,667. 23,5. Od. 1,237. 9,369. 15,354. 16,354. = 6.
οἷς rel. I. Od. 24,312. = 1.
D. Il. 2,338. = 1.
L. Il. 3,109. Od. 3,408. = 2.
ᾗς poss. I. Il. 1,205. = 1.
ᾗς rel. I. Il. 2,341. 4,159. 24,201. = 3.
σφοῖς. L. Il. 18,231. = 1.
ἑοῖς. L. Od. 1,218. 14,23. = 2.
σοῖς. I. Il. 1,179. 2,164. 180. 24,772. Od. 3,323. 9,173. = 6.
L. Od. 8,242. = 1.
σῇς. I. Il. 1,179. = 1.
L. Il. 24,638. = 1.
τεῇς. L. Il. 21,82. = 1.
ἐμοῖς. I. Il. 1,183. 18,273. Od. 10,178. 428. 12,222. 258. = 6.
D. Od. 10,128. = 1.
L. Od. 11,78. 14,269. 17,438. = 3.
ἐμῇς. L. Il. 3,352. 10,452. 21,104. 23,675. = 4.
ἡμετέροις. D. Il. 6,114. Od. 9,93 = 2.

ἡμετέρῃς. L. Il. 20,143. = 1.
αὐτοῖς. I. Il. 23,8. Od. 14,77. = 2.
D. Od. 4,683. 20,213. = 2.
L. Il. 20,55. 513. Od. 19,140. = 3.
ἄλλοις. D. Il. 5,131. 6,259. 13,818. 18,103. Od. 3,333. 19,196. = 6.
L. Od. 16,264. 24,180. = 2.
ἀλλήλοις. D. Il. 6,230. 10,420. 17,356. Od. 3,152. 18,277. = 5.
L. Il. 4,472. = 1.
κείνοις. D. Od. 16,350. = 1.

Instr. 39, dat. 44, loc. 63.

B. Dativi, qui pluribus locis inveniuntur.

I. Substantiva.

ἐν μεγάροις. L. Il. 11,768. 18,435. 24,236. 664. Od. 3,213. 4,165. 6,62. 7,190. 10,5. 13,324. 14,326. 15,77. 94. 231. 450. 16,33. 94. 17,252. 391. 18,420. 19,295. 540. 20,117. 214. 21,4. 100. 22,218. 370. 417. 24,187. 396. = 31.

θεοῖς. I. θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ. Il. 9,485. 22,279. 23,80. 24,486. Od. 24,36. θεοῖς ἐναλίγκιος αὐδήν Od. 1,271. 9,4. θεοῖς ἐναλίγκιον εἶναι Od. 19,267. θεοῖς ἐναλίγκιον ἄντην Od. 24,371. θεοῖς ἐναλίγκια μήδε' ἔχοντα Od. 13,89. θεοῖς ἐπιπείθηται.
D. θεοῖς αἰειγενέτῃσιν Il. 3,216. 6,527. 20,104. ἀθανάτοισι θεοῖς αἰειγενέτῃσι Od. 2,432. 14,446. ἀθανάτοισι θεοῖς Il. 5,130. μακάρεσσι θεοῖς Il. 5,819. 6,141. θεοῖς μακάρεσσι Od. 4,755. θεοῖς εὔχεσθαι Il. 6,240. θεοῖς ἀλιτήμενος Od. 4,807. ἠρώμην-θεοῖς Od. 12,377. θεοῖς μελήσει Od. 11,332. ἔρδομεν ἱρὰ θεοῖς Il. 11,707. οὔτε θεοῖς Il. 15,99. = 15.
L. ἀθανάτοισι θεοῖς μέτα Il. 20,292. = 1.

δόμοις, coniunctum cum ἔνι aut ἐν.
L. Il. 5,198. 9,382. 11,132. 223. 13,466. 15,95. Od. 4,127. 13,306. 424. 19,584. 24,204. = 11.

Ἀχαιοῖς. I. Il. 5,465. = 1.
D. Il. 1,2. 10,174. 13,426. 17,396. 22,117. 23,792. = 6.
L. Il. 5,86. 8,487. 23,649. = 3.

ἐρετμοῖς. I. τὴν δ' εἰς ὅρμον προέρεσσαν ἐρετμοῖς Il. 1,453. Od. 15,497. σπερχοίατ' ἐρετμοῖς Od. 13,22. πολιὴν ἅλα τύπτον ἐρετμοῖς Od. 4,580. 9,104. 180. 472. 564. 12,180. = 9.

ὤμοις. L. κατέχευε χάριν κεφαλῇ τε καὶ ὤμοις Od. 6,235. 8.19. περίχευε χάριν κεφαλῇ τε καὶ ὤμοις Od. 23,162. περὶ (ἐπὶ)

στιβαροῖς βάλετ' ὤμοις Od. 14,528. 15,61. ὤμοις ἰφθίμοισι Il. 18,204. ἀμφὶ δὲ χαῖται ὤμοις ἀΐσσονται Il. 15,267. = 7.

Ἀργείοις. D. Il. 3,286. 4,510. 8,36. Od. 3,133. = 4.
L. Il. 10,250. 23,535. = 2.

πνοιῇς. I. πνοιῇς ἀνέμοιο Il. 12,207. ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο Il. 24,342. Od. 1,98. 5,46. = 4.
L. μετὰ πνοιῇς ἀνέμοιο Il. 23,367. Od. 2,148. = 2.

Ἀτρείδῃς. I. ἅμ' Ἀτρείδῃς Il. 2,249. = 1.
D. Ἀτρείδῃς, Ἀγαμέμνονι καὶ Μενελάῳ Il. 7,373. 5,552. 7,470. = 3.
L. Ἀτρείδῃς, Ἀγαμ. καὶ Μενελ. Il. 17,249. = 1.

ἵπποις. I. Il. 16,154. 17,460. = 2.
D. Il. 23,372. = 1.
L. Il. 23,400. 504. = 2.

μύθοις. I. Il. 23,478. Od. 4,239. 15,53. = 3.
L. Il. 20,369. = 1.

βήσσῃς. L. οὔρεος ἐν βήσσῃς Il. 14,397. 15,134. 16,634. 766. = 4.
cf. οὔρεος ἐν κορυφῇς Il. 2,456.

ἑτάροις. D. Od. 11,113. 17,196. = 2.
L. Od. 9,288. = 1.

θρόνοις. L. Od. 10,352. 17,32. 20,150. = 3.

κλισίῃς, cum ἐν aut ἐνί. L. Il. 2,227. 778. 19,179. = 3.

ἐν κονίῃς. L. Il. 5,75. 22,330. 23,26. = 3.

ἐπὶ ψαμάθοις. L. Il. 1,486. 23,853. Od. 3,38. = 3.

ἀέθλοις. I. ἐτέρφθησαν et ἐτέρφθητε φρέν' ἀέθλοις Od. 8,131. 17,174. = 2.

ἀφραδίῃς. I. Od. 14,487. = 1. D. Od. 22,288. = 1.

εὐχωλῇς. I. εὐχωλῇς ἀγανῇσι Il. 9,499. Od. 13,357. = 2.

θεῇς (θεαῖς). I. Il. 3,158. = 1. D. Od. 5,119. = 1.

κακοῖς. I. κακοῖς ἔχεαι πολέεσσιν Od. 18,123. 20,200. = 2.

κασιγνήτοις. D. Od. 14,97. 115. = 2.

κώπῃς. L. ἐμβαλέειν κώπῃς Od. 9,489. 10,129. = 2.

ξείνοις. D. Il. 11,779. = 1. L. Od. 20,374. = 1.

προμάχοις. L. ἐν προμάχοις Il. 4,253. ἐν δ' ἔπεσον προμάχοις Od. 24,526. = 2.

προχοῇς. L. ἐν προχοῇς Od. 11,242. 20,65. = 2.

ἐπὶ σχίζῃς. L. Il. 1,462. Od. 3,459. = 2.

πύλῃς. L. Il. 5,466. 16,712. = 2.

τροποῖς. L. τροποῖς ἐν δερματινοῖσιν Od. 4,782. 8,53. = 2.

Istr. 39, dat. 36, loc. 91.

II. Adiectiva cum diversis substantivis coniuncta.

ἀθανάτοις, -ῃς, (θεοῖς interdum omittitur).
I. Od. 7,5. 24,47. 55. = 3.
D. Il. 4,592. 23,207. 24,426. = 3.
L. Il. 18,86. = 1.

ξεστῇς (εὐξέστῃς). I. Il. 6,243. 7,5. Od. 12,172. = 3.
L. Il. 20,11. Od. 21,37. 64. = 3.

χρυσείοις, (χρυσέοις), χρυσείῃς.
I. Il. 1,246. 4,3. 12,297. 14,180. = 4.
L. Od. 3,472. = 1.

τρητοῖς. L. τρ. ἐν λεχέεσσιν, ἐν, παρὰ τρητοῖς λεχέεσσιν Od. 3,399. 7,345. 10,2. 1,440. = 4.

φίλοις. D. τοκεῦσι θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε Il. 4,718. 17,302. φίλοις ἑτάροισι Il. 4,523. 13,549. 17,636. Od. 9,466. = 6.
L. φίλοις ἐπὶ γούνασι Od. 19,401. 21,55. = 2.

ἱεροῖς. L. Od. 3,273. 10,426. 554. = 3.

ἱπποδάμοις. L. Τρωσὶ μεθ' ἱπποδάμοις Il. 7,361. 8,110. 525. = 3.

καλοῖς. L. καλοῖς ἐν κανέοισιν Il. 9,216. 24,626. Od. 20,255. = 3.

μακρῇς. I. μακρῇς ἐγχείῃσι Il. 3,137. 254. ἐγχείῃσι μακῇς Il. 13,340. = 3.

αἰθομένοις. L. ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσιν Il. 11,775. Od. 12,362. = 2.

γναμπτοῖς. I. γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν Od. 4,369. 12,332. = 2.

παντοίῃς. I. Od. 4,725. 815. = 2.

πλεκτοῖς. L. πλεκτοῖς ἐν ταλάροισι Il. 18,568. Od. 9,247. = 2.

πολλοῖς, πολλῇς. L. Od. 8,232. 17,221. = 2.

Instr. 17, dat. 9, loc. 26.

III. Adiectiva diversa cum eisdem substantivis coniuncta.

ἐπέεσσι. I. ἀταρτηροῖς Il. 1,223. ὀνειδείοις Il. 1,519. 2,277. 16,628. Od. 18,326. ἀγανοῖς Il. 2,164. 180. 24,772. ἀντιβίοις Il. 2,378. Od. 18,415. 20,323. αἰσχροῖς Il. 3,38. 6,325. 13,768. κερτομίοις Il. 4,6. 5,419. Od. 24,240. μαλακοῖς Il. 6,337. Od. 10,422. μειλιχίοις Il. 11,137. 12,267. 21,339. Od. 9,493. 10,173. 442. 547. 12,207. 16,279. 18,283. 24,393. στερεοῖς Il. 12,267. ἐκπάγλοις Il. 15,198. Od. 8,77. λευγαλέοις Il. 20,109. ἐμοῖς Il. 18,273. Od. 10,178. 428. 12,222. δολίοις Od. 9,282. κακοῖς Il. 23,493. = 40.

ἑτάροισι. I. οἷς Il. 1,307. σοῖς Il. 1,179. ἐμοῖς Il. 1,183. ἀντιθέοις Od. 4,571. 14,247. 385. 17,54. 19,216. λυγροῖς Od. 9,454. ἀγχεμάχοις Il. 16,248. = 10.

D. φίλοις Il. 4,523. 13,549. 17,636. Od. 9,466. τειρομένοις Il. 17,703. 18,129. οἷς Il. 13,489. 15,501. Od. 14,413. 16,354. ἡμετέροις Od. 9,93. ἐμοῖς Od. 10,128. = 12.
L. οἷς Il. 23,5. Od. 1,237. 9,369. 16,354. ἐμοῖς Od. 11,78. 14,269. 17,438. = 7.

νηυσίν. I. οἴης Il. 5,641. σῆς Il. 1,179. = 2.
L. κοιλῆς Il. 1,189. 5,791. 12,90. 15,743. 7,389. 22,115. γλαφυρῆς Il. 9,425. θοῆς Il. 18,259. 19,160. 24,254. 10,306. Od. 9,86. 10,57. 24,419. καλῆς Od. 1,211. 2,18. 27. 18,181. ἑῆσης Od. 4,578. = 19.

χείρεσσι, χερσί. I. ἀμφοτέρης Il. 12,382. = 1.
L. τεῆς Il. 21,82. ἐμῆς Il. 21,104. 3,352. 10,452. 23,625. ὀλοῆς Il. 22,65. σῆς Il. 24,638. ἡμετέρης Il. 10,143. = 8.

ἀλόχοισι. I. αἰδοίης Il. 6,250. 21,460. = 2.
L. μνηστῆς Il. 6,246. αἰδοίης Od. 10,11. = 2.

ἀνέμοισι. I. ὀλοοῖς Od. 9,82. 12,425. 14,313. παντοίοις Od. 9,260. = 4.

δεπάεσσι. I. χρυσέοις Il. 4,3. πλείοις Il. 8,162. 12,311. = 3.
L. χρυσέοις Od. 3,472. = 1.

ὀΐεσσιν. L. εἰροπόκοις Il. 5,137. ἀργέννης Il. 6,424. Od. 17,472. = 3.

ἐλάφοισι. I. φυζακίνης Il. 13,102. ὠκείης Od. 6,104. = 2.

Accedit:

ἀραρυῖα. I. πύργοις Il. 15,737. ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις Il. 3,331. 11,18. 16,132. 18,459. 19,370. ἑκατὸν θυσάνοις Il. 14,181. κληῖσιν ἐϋγνάμπτοις Od. 18,294. = 8.
L. κροτάφοις Il. 13,188. 18,611. Od. 18,378. 22,102. = 4.

Instr. 72, dat. 12, loc. 44.

Quorum sub A quoque reperiuntur:
Instr. 8. dat. 6, loc. 14.
sub II quoque (p. 11)
Instr. 1, dat. 4, loc.

---

restant: Instr. 63, dat. 2, loc. 29.

Omnium igitur hi numeri efficiuntur:

A. Pronomina:	39 instr.	44 dat.	63 loc.
B. I. Substantiva:	39 =	36 =	91 =
II. Adiectiva:	17 =	9 =	26 =
III. Locutiones:	72 (63)	12 (2)	44 (29)
	158 instr.	91 dat.	209 loc.

Ac ne quae saepissime quidem inveniuntur formae breves exspectatione saepius instrumentalis vi instructae sunt:

τοῖς	7 instr.,	19 dat.,	28 loc.
οἷς	7 =	4 =	6 =
μεγάροις	— =	— =	31 =
θεοῖς	11 =	15 =	1 =
δόμοις	— =	— =	11 =
Ἀχαιοῖς	1 =	6 =	3 =
ἐρετμοῖς	9 =	— =	— =
ἐπέεσσι	40 =	— =	— =
ἑτάροισι	10 =	12 =	7 =
νηυσίν	2 =	— =	19 =

Itaque, cum nullum vestigium exstet, quo probetur vim quandam innatam Homeri aetate formis brevibus inesse, iam ad alteram sententiam nos convertamus eorum, qui ex Homeri ipsius carminibus apparere dicunt formas breves ex longis decurtatas esse. At quibus hoc causis et qua ratione factum putant? Buttmannius quidem et Thierschius intercessisse dicunt formas in οισ' et ησ' littera ι ante vocales elisa. Quorum auctoritatem secuti inquiramus, num illud carminum Homericorum usu confirmetur. Itaque, cum apostrophi in dativis brevibus non tradantur paucissimis locis exceptis, ubi codicibus quibusdam exhibentur, quaerendum nobis est, num formae breves aut omnes aut multo plures ante vocales positae sint. Atque quaerentibus nobis hi numeri effecti sunt.

	In Iliade formae breves		in Odyssea formae breves	
	ante voc. (b).	ante cons. (c).	ante voc. (b).	ante cons. (c).
1.	14	6	7	1
2.	15	13	4	2
3.	8	3	11	5
4.	5	4	11	9
5.	16	6	5	—
6.	11	2	2	2
7.	7	1	2	3
8.	5	2	8	3
9.	11	1	13	8
10.	9	3	7	11
11.	7	3	5	1
12.	5	5	6	5
13.	12	2	4	4
14.	2	1	10	6

	In Iliade		in Odyssea	
	formae breves			
	ante voc. (b).	ante cons. (c).	ante voc. (b).	ante cons. (c).
15.	9	1	5	9
16.	8	3	6	3
17.	9	3	5	3
18.	15	1	6	5
19.	5	1	9	3
20.	6	3	8	4
21.	4	1	4	5
22.	4	3	1	8
23.	15	3	1	1
24.	12	8	11	4
	214	79	149	105

Qui numeri, ne omnibus partibus cum eis, quos Gerlandius et Nauckius reppererunt, congruerent, eisdem quas supra demonstravi causis factum est. Collegit enim Gerlandius formas breves, quae ante vocales aut in fine versus essent, in Iliade 232, in Odyssea 170, formas autem ante consonantes positas in Il. 35, in Od. 63; Nauckius repperit in Il. prioris generis formas, (quas nota „b" significat,) 212, posterioris, (quas „c" dicit,) 39, in Od. formas „b" 150, „c" 75. Equidem in colligendo Nauckii exemplum secutus formas in fine versus decurtatas omnes eodem numero habendas censui quo ante consonantes positas.

Ex illis numeris ipsis Nauckius effecit dativos breves ante consonantes positos plane ex contextu Homerico eiciendos esse; Homeri igitur aetati nullos tribuendos esse nisi aut plenos in οισι, ῃσι, cadentes aut ante vocales littera ι elisa in οισ', ῃσ' decurtatos. Itaque ille dativos „c" omnes coniecturis emendari oportere putat, et ipse plurimos locos corrigere studuit ita, ut, quae coniecisset, aut in contextum editionis suae reciperet aut adnotationibus insereret. In corrigendo autem rationibus quibusdam coniciendi usus est. Omnibus enim locis pro ἀγανοῖς cett. ϝεπέεσσι restituit οισι ϝέπεσσι pro οἷς ἀγανοῖς βελέεσσι — οἷς ἀγανοῖσι βέλεσσι. Quae emendationes, quamquam versu admittuntur, tamen usu Homerico alienae sunt. Exceptis enim locutionibus — οις ἐπέεσσι formae ἐπέεσσι 69 apud Homerum traduntur, ἔπεσσι 14. At, ne res turbetur, omittendi sunt ei loci, quibus levissima mutatione facta et ἐπέεσσι et ἔπεσσι versu admittuntur, qui loci sunt:

ἐπέεσσι: Il. 9,526; Od. 7,17; 13,323. τ'ἐπέεσσι = τε ἔπεσσι Il. 14,208; 11,771. Od. 1,582 γ'ἐπέεσσι = γε ἔπεσσι; Il. 15,127 δ'ἐπέεσσι = δε ἔπεσσι; Il. 2,342 ῥ'ἐπέεσσι; Il. 20,200. 431. 256. Od. 17,123.

μ' ἐπέεσσι. Od. 22,213. σ' ἐπέεσσι. 21,192. 206. σφ' ἐπέεσσι. Il. 15,156. ὤκ' ἐπέεσσι. Od. 17,393 πόλλ' ἐπέεσσι. Il. 5,893 δάμνημ' ἐπέεσσι. Il. 9,376 ἐξαπάφοιτ' ἐπ. Il. 12,391. εὐχετόφτ' ἐπ. Il. 20,211. φήμ' ἐπ. 23,363 ὁμοκλήσαντ' ἐπ. 21,286 ἐπιστώσαντ' ἐπ. 24,102 εὔφρην' ἐπ. 15,162. 178 οὐκ ἐπέεσσ' ἐπιπείσεται = οἰχὶ ἔπεσσ' ἐπιπείσεται. Od. 3,264 θελγεσκ' ἐπ. 8,91 τέρποντ' ἐπ. 9,224 λίσσοντ' ἐπ. 23,216 ἀπάφοντ' ἐπ. 18,11. 24,410 δεικανόωντ' ἐπ.

ἔπεσσι. Il. 10,542. 19,415. ἠσπάζοντο ἔπεσσι = ἠσπάζοντ' ἐπέεσσι. Od. 9,376 θερμαίνοντο ἐπ. = θερμαίνοντ' ἐπέεσσι. Il. 24,238 ἀπέεργεν ἔπεσσι = ἀπέεργ' ἐπέεσσι, (cf. Od. 4,450 ἤθελ' ἔτι ζώειν, ubi item ε imperfecti elisum est). Od. 17,745 πᾶσιν ἔπεσσιν = πᾶσ' ἐπέεσσιν, quae mutatio, quamquam ι in dativis pluralis longa vocali praecedente non eliditur nisi Il. 24,318 κληῖσ', tamen formis φάσ', ἔασ', ἑστᾶσ', ἴσασ quamvis raris aliquo modo nititur. Il. 9,113 ἀγανοῖσιν ἔπεσσιν = -οις ἐπέεσσιν. Od. μύθοισιν ἔπεσσιν = μύθοις ἐπέεσσιν. Quos locos mutari licet, quoniam, cum etiam aliis locis ἔπος digammo careat, eius litterae usum apud Homerum non semper valuisse verisimile est (cf. Knös, de digammo Homerico, Upsala universitetets årskrift 1872. 73. 78.).

Quae formae restant, omnes fere ἐπέεσσι sunt (38), septem ἔπεσσι. Qui dativi ἔπεσσι, cum tam raro prae longis inveniantur et omnes in Odyssea in eademque locutione usurpentur: 10,500. 4,484. 9,258. 4,706. 5,96. 19,214. 9,363: hae formae breves multo magis suspicionem movent quam longae et multis locis repertae et versu bene nixae. Accedit quod illae ἐπέεσσι, cum ad unam omnes aut in fine versus aut in magna tertii pedis caesura sint, tum saepe in locutionibus quibusdam epicis inveniuntur:

Il. 3,249. 4,233 ὤτρυνεν — παριστάμενος ἐπέεσσιν. 17,215 ὤτρυνεν — ἐποιχόμενος ἐπ. Od. 7,341. ὤτρυνον — παριστάμενοι ἐπ. Il. 2,75. ἐρητύειν ἐπ. — Il. 4,241. νεικείεσκε χολωτοῖσιν ἐπ. 15,210 νεικείειν χολωτοῖσιν ἐπ. Od. 22,26 νείκειον χολ. ἐπ. 22,225 νείκεσσεν χολ. ἐπ. — Il. 12,249 παρφάμενος ἐπ. Od. 2,189. παρφάμενος ἐπ. ἐποτρύνῃς χαλεπαίνειν (cf. Il. 3,249 cett.). — Il. 21,98. λισσόμενος ἐπ. Od. 6,143 ἐπέεσσι λίσσοιτο. 6,146 λίσσεσθαι ἐπ. — Od. 2,240 καθαπτόμενοι ἐπ. 3,345 καθαπτόμενος ἐπ. 10,70 καθαπτόμενος ἐπ. — Il. 20,367 ἐπέεσσι μαχοίμην. 1,103 μαχησαμένω ἐπ. — Od. 8,396 ἀρεσσάσθω ἐπ. 8,415 ἀρεσσάμενος ἐπ. — 19,155 ὁμόκλησαν ἐπ. 24,173 ὁμοκλέομεν ἐπ. — Od. 11,552 ἐπέεσσι προσηύδων. 15,440 προσαυδάτω ἐπ. — Il. 23,492 ἀμείβεσθον ἐπ. 22,329 ἀμειβόμενος ἐπ. 23,489. ἀμείψασθαι ἐπ. — Od. 3,148 ἀμειβομένω ἐπ. 4,286 ἀμείψασθαι ἐπ. 11,81. 465. ἐπέεσσιν ἀμειβομένω. 11,225 ἐπέεσσιν ἀμείβομεθ'. Od. 2,323 κερτόμεον ἐπ. 4,420. ἀνείρηται ἐπ. 8,175 ἀμφιπεριστρέφεται ἐπ. 10,34 ἐπέεσσι πρὸς ἀλλήλους ἀγόρευον. 18,340 ἐπέεσσι διεπτοίησε γυναῖκας.

Quod mirum in modum convenit cum formis illis -οις ἐπέεσσι, quas Nauckius emendandas esse opinatur. Quae et saepe in locutionibus epicis sunt et omnes aut in fine versus aut in magna tertii pedis caesura inveniuntur, quattuor dativis exceptis, Od. 10,178. 428. 12,222. 24,246, quorum versuum tres priores etiam inter se congruunt.

Non recte Nauckium correxisse etiam magis apparet ex formis βελέεσσι et βέλεσσι. Βελέεσσι enim cum decem locis integris inveniamus, Il. 15,727. 16,102. 11,589. 576. 5,622. 13,511. 22,196. 16,108. 21,278. 16,639: formam βέλεσσι eis, quibus ab omnibus traditur, locis duobus levissima mutatione facta in longiorem mutari licet: Il. 13,55 ἐν πολλοῖσι βέλεσσιν = ἐν πολλοῖς βελέεσσιν. Il. 1,42 σοῖσι βέλεσσιν = σοῖς βελέεσσιν. Qua re commoti etiam ἀγανοῖς βελέεσσι scribimus in versibus Il. 24,759. Od. 3,280. 5,124. 11,173. 199. 15,411.

Idem cadit in χρυσείοις. πλείοις, δεπάεσσιν, ἐϋξέστῃς σανίδεσσιν, quos ille in -οισι δέπασσιν, -ῃσι σάνισσιν mutari vult. Δεπάεσσι enim decem locis mutari non potest, δέπασσι uno loco invenitur Il. 15,86 πάντες ἀνήϊξαν καὶ δεικανόωντο δέπασσιν, quo loco ab aliis etiam δεικανόωντ' ἐπέεσσιν reponitur; σανίδεσσιν autem (Od. 21,137. 164.) forma πραπίδεσσιν optime nititur.

Aliis locis idem ille, ut longas formas restituat, facere non potest, quin gravius verborum nexum mutet, velut

Il. 2,456. κορυψῇσι ϝέκάς } pro -ῃς ϝέκάθεν.
16,634. βήσσῃσι ϝέκας }
19,424. ἐν πρώτοισιν ἐών pro -οις ϝιάχων.
12,297. χρυσέῃσιν ῥάβδοισιν pro χρυσείῃς ῥάβδοισιν.
14,480. χρυσέῃσιν δ'ἐνετῇσιν pro χρυσείῃς δ'ἐνετῇσιν.
5,641. ἓξ οἴῃσιν νηυσίν p. ἓξ οἴῃς σὺν νηυσίν.
20,394. ἐπισσώτροισι δατεῦντο p. -οις δατέοντο.
24,664. ἐν μεγάροισι γοῴμεν p. -οις γοάοιμεν.
12,342. τοῖσι δέ p. τοῖς δ' ἅμα.
24,201. ῇσι πάρος γε p. ῇς τὸ πάρος περ.
24,25. ἄλλοισιν πᾶσι p. ἄλλοις μὲν πᾶσι.

Od. 13,334. μεγάροισι ἴδεῖν p. οις ϝιδέειν.
19,140. αὐτοῖσιν ἔειπον p. οις μετέειπον.
4,93. τοῖσι vel. τοῖσίδ' p. τοῖςδε, idem 4,630. 7,23. 9,286.
20,374. ἐπὶ ξείνοισι γελῶντες p. οις γελόωντες.
24,312. οἷσιν ἐγὼ χαίρων p. οἷς χαίρων μὲν ἐγώ.
21,274. τοῖσι δολοφρονέων p. τοῖς δὲ δολοφρονέων.

Formam vero τοῖςδεσσι vel τοῖςδεσι ubique etiam ex contextu tollit scribitque aut τοῖσίνδε aut τοῖσίδε. Exstat autem illa forma

semel in Iliade 10,462, in Odyssea sexies 2,47. 165. 10,268. 13,258. 14,443. 21,93. Quos dativos etiam ob eam causam corrigendos putat, quod, permiram quandam speciem praebeant, cum „δε“ particula, tanquam sit substantivum, flectatur.

Locis aliis particula quadam eiecta facit, ut litterae vocales formas breves subsequantur:

Il. 1,89. κοιλῇσ' ἐπὶ νηυσίν p. κοιλῇς παρὰ νηυσίν.
2,524. 10,196. τοῖσ' ἅμα p. τοῖς δ' ἅμα.
4,253. προμάχοισ' ὑΐ p. οις συΐ.
17,365. ἀλλήλοισ' ἀν' ὅμιλον p. οις καθ' ὅμ.
22,442. ἐϋπλοκάμοισ' ἀνὰ δῶμα p. κατά.

Od. 14,459. 15,304. τοῖσ' Ὀδυσευς p. τοῖς δ' Ὀ.
18,60. 15,439. τοῖσ' αὔτις p. τοῖς δ' αὔτις.
22,261. 24,490. τοῖσ' ἄρα p. τοῖς δ' ἄρα.
4,721. τῇσ' ἀδινόν p. τῇς δ' ἀ.
20,65. ἐν δὲ βάλοι προχοῇσ' p. ἐν προχοῇς δὲ βάλοι;

aliis locis dativum numeri pluralis in alium casum eiusmodi nominis commutat.

Il. 1,435. ἐρετμῷ p. ἐρετμοῖς.
2,137. μεγάρῳ p. μεγάροις.
5,606. θεῷ p. θεοῖς.
9,602. δώρῳ p. δώροις.
1,179. σὺν νηί τε σῇ καί p. σῇς καί.
1,238. παλάμῃ p. παλάμῃς.
5,75. κόνίῃ p. κονίῃς.
2,680. 516. τῶνδε p. τοῖςδε.
2,747. τῶν δ' ἅμα p. τοῖς δ' ἅμα.
13,426. 5,465. Ἀχαιῶν p. Ἀχαιοῖς.
23,649. κατ' Ἀχαιούς p. μετ' Ἀχαιοῖς.
20,292. θεὸς μετά p. θεοῖς μέτα.
4,153. τόν δέ p. τοῖς δέ.

Od. 4,580. 9,104. 180. 472. 564. 12,180. 13,22. 15,497. ἐρετμῷ p. οῖς.
6,62 cett. μεγάρῳ p. -οις.
13,424. δόμῳ p. οις.
15,61. 14,528. στιβαρῷ βάλετ' ὤμῳ p. στιβαροῖς βάλετ' ὤμοις.
11,242. ἐν προχοῇ p. ῇς.
22,288. ἀφραδίῃ p. ῃς.
6,235. 8,19. ὤμοιν, ὤμους p. ὤμοις.

Quibus coniecturis, quamquam omnes cum ad versum tum ad sensum facile se accommodant, tamen aliis alia obici possunt. Reliquis dativis „c“ eiciendis cum plures difficultates obstent, ille facere non potest, quin vim contextui inferat, scribit enim:

Il. 3,109. ὅς δὲ γέρων μετέῃσι pro οἷς δέ.
5,86. ἢ Δαναοῖσι p. ἢ μετ' Ἀχαιοῖς.
22,117. ἅμα δ' Ἀργείοισι p. ἅμα δ' ἀμφὶς Ἀχαιοῖς.
22.513. ἐπιέσσεαι αὖτις p. ἐγκείσεαι αὐτοῖς.
23,478. ἔπεσιν p. μύθοις.
23,535. στὰς δ' ἐν Ἀχαιοῖσιν p. στὰς δ' ἄρ' ἐν Ἀργείοις.
24,84. ἐνὶ τῇσι p. ἐνὶ μέσσῃς.
24,796. φάρεσι πορφυρέοισι p. πορφυρέοις πεπλοισι.
Od. 3,113. ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοισιν πάθομεν κακά p. ἄλλα δὲ πόλλ' ἐπὶ τοῖς πάθομεν κακά.
15,188. 3,490. ὁ δ' ἄρα ξεινήια δῶκεν p. ὁ δὲ τοῖς πὰρ ξείνια θῆκεν.
4,578. νηυσὶ θοῇσι p. νηυσὶν ἐΐσῃς.
4,683. ἀτὰρ σφίσι δαῖτα p. σφίσι δ' αὐτοῖς δαῖτα.
4,755. τὼς μακάρεσσι θεοῖσι p. πάγχυ θεοῖς μακάρεσσι.
12,258. ἐγὼ ἴδον ὀφθαλμοῖσιν p. ἐμοῖς ϝίδον ὀφθαλμοῖσιν.
3,273. θεοῖς ἱερῶν ἐπὶ βωμῶν p. θεῶν ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς.

Locis vero nonnullis ne illa quidem ratione quidquam perficere potest, sed eis se nondum plane mederi potuisse fatetur. Sunt autem isti:

Il. 2,363. 3,274. 11,779. 24,442. 17,384. 7,170. 10,241. (Ad. 7,170 et 10,241 cf. Od. 15,439 et 18,60, ubi τοῖσ' αὖτις coniecit auctoritatem codicum paucorum secutus, qui τοῖς αὖτις exhibent.) Od. 3,390. 4,126. 239. 7,279. 8,131. 9,86. 10,57. 199. 12,425. 16,264. 19,490. 20,213. 21,130. 22,247.

Tot cum restent dativi ante consonantes positi, qui satis aptis coniecturis tolli non possint, ceteri vero, quamquam mutari possunt, tamen aliis de causis ac propter formas illas ipsas emendationem desiderent nullam: dativos decurtatos Homeri temporibus tribuendos esse negare nobis non licet.

Immo, quos nos quidem consecuti sumus dativorum brevium numeros si inter se comparamus, 36,91 in Iliade, in Odyssea 70,64 dativos ante consonantes centenis ante vocales positis respondere videmus. Itaque, quoniam plus quartam partem in Iliade, in Odyssea bis quintam omnium formarum brevium ante consonantes esse cognovimus, non paucissimas formas alterius generis, sed aliquanto pauciores quam alterius apud Homerum exstare recte dicemus. Quamobrem ista causa a numerorum ipsorum ratione petita non tantum valere videtur, ut formae breves plane eiciantur.

Quae cum ita sint, maxime dubium est, num formae ante vocales positae cum apostropho scribendae sint. Quod ut melius perspiciamus, quaerendum est, qua ratione littera ι apud Homerum elidatur, quod quam saepe usu veniat, his numeris cognoscitur:

In Iliade post σ 54, post σσ 23, in Odyssea post σ 32, σσ 7.

Perraro igitur ι post σ eliditur, id quod etiam magis apparebit, si plenas formas in σι et σσι inspexerimus. Sunt autem in primo libro Iliadis plenae formae in σι et σσι (eaeque in ασι, ωσι, εισι, ησι, ῃσι, ουσι, ᾰσι, οσι, ῠσι, ρσι; εσσι, οσσι cadentes) 86, elisae 4, in altero illius generis 94, huius 3, in tertio prioris 57, posterioris 1 similiterque in ceteris libris carminum. Quarum formarum saepius in verbis, rarius in substantivis ι post σ eliditur; verborum autem saepissime in tertia pluralis in ουσι et ωσι exeunte: -ουσι 16 in Il., 13 in Odyssea, -ωσι 12 in Il,, 4 in Od., praeterea φᾱσί (septies), ἔασι, ἑστᾶσι, ἀφεστᾶσι, ἴσασι; εἰσί (decies); νεικεῦσι (semel). In tertia singularis ι eliditur in φησί, ἔλθῃσι, ἐθέλῃσι, φρονέῃσι, στείχῃσι, εἰσι, semel in ἐσσί Od. 17,273. At in substantivis eliditur saepius post σσ in dativis pluralis tertiae declinationis; raro post σ simplex aut consonante aut brevi vocali praecedente: δώμασι (semel), δάκρυσι (bis), χερσί (quinquies), μνηστῆρσι (semel); rarissime idque semel post longam vocalem: κληΐ̃σι Il. 24,318. Cuius generis dativi velut νηυσί, ἱππεῦσι, τοκεῦσι, Τρωσί, γέρουσι cum illis in οισι, ῃσι exeuntibus simillimi sint, analogiam secuti conicimus ne in illis quidem ante vocales ι elisum esse.

Alia causa, qua probatur formas breves ex longioribus natas esse, ex ceteris antiquioribus Graecorum carminibus redundare videtur. In hymnis enim Homericis prioribus, Hesiodi carminibus, poetis lyricis et septimi et sexti saeculi formarum brevium numerum prae longioribus magis magisque augeri cognoscimus.

Hymni Homerici.

	a	b	c
1.	12	2	3
2.	57	6	4
3.	77	10	2
4.	57	9	4
5.	65	10	23
	268	37	36
		73	

Ceteri hymni.

47	10	11
	21	

Hesiodus.

Theog.	144	28	27
Erga.	98	15	32
	242	43	59
		102	
Aspis	47	10	15
		25	

Lyrici Jonici.

VII. saeculi.

	a	b	c
Callinus	1	—	—
Asius	1	—	—
Mimnerm.	2	1	1
Archilochus	15	5	7
Sim. Am.	20	5	3
Solon	26	11	7
	65	22	18
		40	

VI. saeculi.

Phocyl.	1	2	—
Xenoph.	5	5	4
Hippon.	13	1	2
Ananius	—	—	1
Anacreon	9	6	8
Sim. Ceius	22	18	23
	50	32	38
		70	

Lyrici Lesbiaci.

(a. 600)

	a	b	c
Alcaeus	8	3	8
Sappho	12	4	6
	20	7	14
		21	

Ceteri lyrici.

VII. saec.

Tyrtaeus	23	4	6
Pisander	—	1	—
Alcman	6	5	6
Stesichor.	1	—	3
	30	10	15
		25	

VI. saec.

Theognis	138	48	61
Ibycus	5	2	5
	143	50	66
		116	

In Iliade enim et Odyssea cum formae breves (b et c) quintam fere partem longiorum (a) expleant: in hymnis plus quartam, apud Hesiodum plus tertiam partem efficiunt. Apud poetas lyricos, ubi in quaerendo locos omnes suspectos omisimus, quamquam pro fragmentorum exiguitate numerorum rationes non tam certae habendae sunt, tamen ex his tabulis elucet formas breves, praecipue saeculo sexto, iam non minus saepe in usu esse quam longas.

Quarum formarum ι cum non elisum esse ante vocales ex analogia ceterorum dativorum pluralis cognoverimus, restat, ut syncopatum esse censeamus. Cuius syncopes quae causae fuerint, iam quaerere instituamus.

In Iliade cum 214 formae „b", 79 „c" reperiantur, vocales sequentes aliquid valuisse ad ι syncopandum non est quin concedamus, aut, ut melius rem definiamus, in contrarium dicemus, cum Homeri aetate ι syncopari vix coeptum esset, facilius formas syncopatas repositas esse eis locis, ubi vocales sequerentur. Qua re optime explicatur formas breves ante vocales saepius in usu esse, ante consonantes non plane deesse. In Odyssea cum formarum decurtatarum usus longius progressus esset (149 b, 105 c) et eam ob rem paullo rarius ante consonantes quam ante vocales dativi illi ponerentur: iam in hymnis aut apud Hesiodum, utrum vocales aut consonantes dativos illos sequantur, nihil interest (hymni antiquiores 37 b, 36 c, Hesiodus 43 b, 59 c). Idem usus apud poetas lyricos et septimi et sexti saeculi valet (cf. tabulas). Qua ex re concludi licet eis temporibus iam in usu cotidiano formas breves fuisse.

Accedit, quod formae breves carminum Homericorum saepe in caesuris aut in fine versuum inveniuntur, id quod Gerlandius ipse quoque vidit; formarum enim illarum exstant

	in Iliade	in Odyssea
in fine versus	13	22
in caes. peuthem.	41	38
in caes. bucol.	8	5
in fine primi pedis	17	10
in caes. hephthem.	50	44
in caes. trithem.	63	50
	192	170

Quod non casu accidere, ceteris carminibus comparatis cognoscitur. Sunt enim in hymnis Homericis in fine versus 16, in caesuris 62, ut restent 16, quae non sint in caesuris; in Hesiodi carminibus in fine versus aut in caesuris 97, cum totae 127 repertae

sint. Apud poetas elegiacos saepissime illae formae in pentametri caesura media inveniuntur

	in caes. media.	in cett. caesuris aut in fine versus.	sine caes.
Mimnermus	—	1	1
Solon	10	3	4
Tyrtaeus	7	2	2
Pisander	1	—	—
Phocylides	—	1	1
Xenophanes	2	4	3
Simonides Epigram.	5	5	8
Theognis	36	43	30
	61	59	49

Extra caesuras in Iliade 101, in Odyssea 84 dativi breves inveniuntur, quorum in Iliade 67, in Odyssea 48, cum vocales eos sequantur, omittemus, quoniam vocales illas ipsas ad formas breves utendas pertinuisse supra demonstravimus.

Qui restant in Iliade hi sunt:
2,516. 680. 524. 747. 4,153. 7,170. 10,196. 241. 462. 12,372. 17,384. — 3,109. 24,201. — 24,664. — 1,223. 519. 2,277. 3,38. 6,325. 337. 12,267. 13.768. 16,628. 24,772. 4,3. 8,162. 12,311. — — 11,779. 20,394. 22,442. 24,442. —

In Odyssea:
2,47. 165. 3,390. 4,93. 630. 7,23. 9,286. 10,268. 13,258. 14,443. 459. 15,304. 439. 18,51. 21,274. 18,60. 21,130. 93. 22,247. 261. 24,490. — 4,721. 19,140. — 6,62. 10,5. 15,231. 22,417. 14,528. 15,61. — 9,282. 10,422. 18,326. 3,472. — — 20,374. 21,137. 164.

Quo in numero praecipue sunt breves formae articuli et pronominum: τοῖς, τοῖςδε, τοῖςδεσι, τοῖςδεσσι, τῇς, οἷς, ᾗς, αὐτοῖς, quas etiam aliis locis saepe in usu esse ex tabula supra composita (p. 16) cognosci potest; deinde substantivum μεγάροις et adiectivum στιβαροῖς cum usitatissimo ὤμοις coniunctum, tum adiectiva cum ἐπέεσσι et δεπάεσσι coniuncta, ad quae genera idem quod ad pronomina illa pertinere ex iisdem tabulis apparet. Prae quibus generibus, qui restant dativi septem, (quos in fine positos habeo), minimi momenti sunt.

Itaque a formis τοῖς similibusque usus dativorum brevium non multo ante Homeri aetatem profectus videtur esse ita, ut ad analogiam formarum illarum, quae saepissime in usu essent, ceteri quoque in οισι dativi ι in fine positum amitterent. Quae formae analogia decurtatae initio quidem, cum antiquior longarum formarum usus vigeret, aut ante vocales aut in caesuris praecipue collocabantur,

quod ipsius Homeri usu confirmatur. Quod etiam melius apparet in formis ῃς, quae ex formis ῃσι analogia formarum οισι-οις natae sunt. Quae, cum usus earum Homeri temporibus nondum inveteravisset, omnes fere aut ante vocales aut in caesuris inveniuntur: reperiuntur autem 99 ante vocales, 21 ante consonantes in caesuris, 4 ante consonantes extra caesuras eaeque ἧς Il. 24,201; τῇς Od. 4,721; ἐϋξέστῃς Od. 21,137. 164.

Formae autem τοῖς similiaque pronomina, a quibus usum decurtandi profectum esse demonstravimus, unde ipsae originem ducant, dubitari potest. Solis autem Lesbiorum et Ionum Atticorumque antiquioris aetatis titulis cum et longi et breves dativi una servati sint, (in ceteris enim breves soli inveniuntur): ex titulis illis ad hanc quaestionem aliquid redundaturum esse sperare licet. Atque ex titulis quidem Lesbiacis, quamquam quarto saeculo priores non exstant, tamen cognoscitur in dialecto illa, cum utrique dativi promiscue reperirentur, articuli formas breves solas (τοῖς, ταῖς) in usu fuisse; praeterea breves formae inveniuntur αὔτοις, ἑαύτοις, ἄλλοις, (Ἐρε)σίοις, Διονυσίοις, ναύοις, χρόνοις, — ταῖς, τίμαις. Idem cadit in Ionicum τοῖς, quod semel (Röhl 138, 500) in titulo Halicarnassio invenitur. Quam articuli formam cum Homerico τοῖς et eiusmodi pronominibus convenire apparet. Itaque veri simile est, cum formae casus instrumentalis in -ais exeuntes perirent, τοῖς aliaque pronomina, quae saepissime in usu essent, servata esse. Conferendae sunt linguae Gotica et Palaeogermanica, in quibus, cum casus instrumentalis interisset, pronomina quaedam sola et forma et vi instrumentalis instructa etiam in libris permanserunt. Ad pronominum illorum usum cum Homeri aetate formae οις, ῃς decurtari ex longis coeptae essent, postea in dialecto Ionica plane amittebantur, in Lesbiaca una cum longis in usu erant, in ceteris dialectis, cum longi dativi eiecti essent, superiores discesserunt.